

Universitätsbibliothek Wuppertal

Iulianu Autokratoros Ta Sōzomena, Kai Tu En Agiois Kyrillu Archiepiskopu Alexandreias Pros Ta Tu En Atheois Iulianu Logoi Dekα

Julian

Lipsiae, Anno MDCXCVI.

Petri Cunaei interpretatio Iuliani imp. Caesarum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1694](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1694)

D. IVLIANI IMP. CAESARES

a

PETRO CVNAEO

in Latinum sermonem conuersi,

editi anno M DC XII.

P R A E F A T I O

ad

Amplissimum virum

NICOLAVM ZEISTIVM

LEIDENSIVM SYNDICVM.



*Esæpe equidem, ZEISTI virorum amplis-
sime, illud contingere video, uti, quum iu-
dicium de his, qui olim vixere, principibus
fertur, multum nos decipiat veterum quo-
rundam, quos in ecclesia Dei claros atque
illustres fuisse scimus, auctoritas. Tantum
enim opinio præiudicata potest, uti nihil ultra indagemus ple-
rique, satisque nos permoueat, etiam sine ratione, eorum ho-
minum sanctimonia. Nimirum sic existimat vulgus, magnum
in se nefas eum admittere, qui pietati, cuius titulis atque im-
perio Christiana stat religio, defuisse interdum candorem cre-
dat. Ego, sicut plurimis maximisque argumentis, esse illos
excellenti & diuina virtute viros, iudico; ita & præ studio
peccasse non ignoro, & memini fuisse perquam acerbos. Ut de
cæteris nihil iam dicam; certe qui in Græcia tunc aliquod
nomen habebant, vitio gentis suæ, nimium fuere in utramque
partem vehementes. Aderat cunctis Græcis facundia rotun-
da, eruditio admirabilis, ingenium ad omnia promptum: qua-
rum hercle rerum præsidio effectum est, uti, quæcunque mo-
numen-*

numenta ad posteros transmiserunt, in iis maxima quædam
 & acerrima vis spiraret. Itaque quibus infensi erant, eos, per
 se magnos sane & pene in cælo positos, traherant ad inferos;
 & aliis rursus, quos ornandos censuerunt, licet immerentibus,
 tantas laudes admensi sunt, uti posteritas virtutes eorum, quæ
 vix mediocres sunt, suspiciat, & lapidem e sepulcro veneretur
 pro deo. Non ego per ambages te, amplissime ZEISTI, ne-
 que longa per exorsa detinebo: rem tibi auctorem dabo. Con-
 stantini virtutes plus quam humanæ ubique celebrantur, &
 utramque paginam faciunt. Fecit ille quidem multa, quæ bo-
 ni principis famam deturpent: nam & imperii opes in luxum
 absumsit, & auri lustralis exactiōe crudeliter attriuit popu-
 lum. Verum hæc Græci, quibus animus spei ac gratiæ obno-
 xius erat, cernere aut non poterant, aut nolebant. Itaque a-
 nimus in verba ambitiosus, oblitus legis pressiorisque iudicii,
 post tot accepta beneficia, nihil iam nisi maximas illius laudes
 magna mercede meditabatur. Iulianum vero, laudatissimum
 principem, quem natura omnibus ornatum rebus excellere vo-
 luerat, tam indignis modis traduxere, uti iam illius nomen,
 toti mortalitati res sit inuisa atque detestabilis. De quo prin-
 cipe quoniam quid sit iudicii mei dicendum hic aperte est, non
 committam equidem, uti, quod omnes merito reprehensione,
 dignum censent, id ego probare ullo pacto videar. Scio enim,
 & doleo mediis fidius, fuisse illum religionis nostræ, cui semel
 sese addixerat, desertorem atque hostem. Turpe profecto faci-
 nus, & quod Furiarum ultricibus pœnis mulctandum haud ne-
 gamus. Verum ea res, etsi illum e sanctissima Christianorum
 gente expungit, interque profanos locat paganosque, tamen
 nunquam efficiet, uti propterea maximis accenseri heroibus
 non debeat, qui ubiuis terrarum, & quolibet in populo, sacra
 nostra ceremoniasque contempsere. Est illud in omni negotio
 apprime pulcrum, res natura sua dissociatas secernere, atque
 singula, uti per se sunt, intueri. Enimvero ille uniuersi condi-
 tor & rector Deus, quum ex tanta mortalium, qui ubique per
 orbem tunc erant, multitudine, per pauci quidam salutarem
 illam lucem, quæ a Christi vultu nobis adfulget, sequerentur;
 tamen multa extare voluit illustria documenta, ex quibus
 disceremus, inesse in cæteris quoque diuinitatis semina, at-
 que

que omni loco nasci virtutem. Equidem ego, quoties mecum
 agitabam, qualem quantumque esse oporteret, qui summum
 inter homines teneret fastigium, subiit animum meum Iuliani
 veneratio; maiorque in eo atque altior esse spiritus videba-
 tur, quam uti cum cætera Imperatorum plebe cogi in ordinem
 posset. Est utique natura mortalium avida imperii; eaque
 cupido ita in maximis animis splendidisque ingeniis inhæret,
 uti, qui cæteris rebus pietatem colunt, regnandi gratia vio-
 landum esse ius arbitrentur. Hic nihil tale animo adfectans,
 quum a Constantio Cæsar esset dictus, fatale sibi malum & vl-
 timam denuntiari credidit necessitatem. Qui enim vitam sem-
 per in sapientiæ & optimarum rerum studiis egisset, ex alta
 velut arce res hominum despexit, nihilque esse sceptrum, nisi va-
 no fulgore tectum nomen, intelligebat. Quia tamen communis
 utilitatis derelictio contra naturam erat, quod boni civis fuit,
 fecit, eamque personam, quam casus illi & respublica imposue-
 rat nolenti, decenter & cum magna laude gessit. Fregerant
 Romani imperii vires bellicosissimi Germanorum populi, quos
 suum cælum, suum sidus acrius animabat. Hos ille armis sic
 perdomuit, uti, quas pacis leges Barbari cæteris Imperatori-
 bus dederant, eas a iuvene & peterent suppliciter, & viuo il-
 lo constanter seruarent. Iam vero postea in Persas quum ex-
 ercitus duxisset, cuncta eorum oppida, cunctas provincias,
 magna celeritate non tam cursibus suis, quam victoriis, pera-
 grauit. Atque hæc incunabula illi, & veluti rudimenta e-
 rant maiorum rerum; quum iuuenem, prima firmioris æta-
 tis spatia ingredientem, fatorum iniquitas extinxit. Quan-
 quam nos hercle non vitæ sed gloriæ spatium metiri illum decet,
 quem & belli usus iam tunc formidabilem hostibus, & pacis
 artes cunctis non dicam civibus, sed mortalium seculis, fecere
 venerandum. Est quidem haud exigua res, ab eruditione
 & sapientiæ nutricibus litteris aliquod decus trahere: verum
 hæc umbratici hominis magis, quam principis laus est. Et-
 enim, qui res gerere, & civibus ostendere captos hostes didi-
 cit, is mihi demum & imperio dignus esse, & louis attingere
 solium videtur. Noster, quod paucis fuit quodam deorum mu-
 nere concessum, virtutes dispares prudentia iunxit, & quum ne
 in

in castris quidem, interque clangentes tubas, philosophum exueret, aut a prioris vitæ recederet consuetudine; tamen manu strenuus omnibus adfuit locis, successibusque suis institit, & oblata casu flexit ad consilium. Ita eodem tempore inscientiam, teterrimam belluarum, & simul gentes debellauit Romano nomini inimicas. Quæ licet summa & propemodum diuina sint, tamen poterat tantarum rerum laudem destruxisse aut animus nimia felicitate inebriatus, aut morum atque vitæ turpitudine. Etenim ita res est: qui magno imperio præditus in excelsa viuit, multo facilius in cæteros omnes, quam in se, regnum tenet. Hic, quum in solidam virtutis possessionem primis adhuc annis & lubrico ætatis missus esset, animum semper supra fortunæ indulgentiam gessit; quæ tamen frangere etiam constantissimas mentes solet. Non enim stupris atque libidinibus principem egit, aut ex magno imperio tantum usurpauit licentiam; sed ita se custodiuit, quasi legibus, quas nemo regi scripsit, redditurus esset rationem. Itaque amissa Helena coniuge, quam ille vnâ caste dilexerat, non matronarum iam pudicitiam, sed naturæ expugnauit desideria; & qui omnium rerum circumflueret copiis, vitam asperam atque duram, ex lege illius, quam sequebatur, disciplinæ egit. Neque illa vero minor laus erat, animo leni atque placido esse, & iniurias atque offensiones in summa potentia pati. Iactauerat in optimum Imperatorem foedissima probra Antiochensis populus. Homines enim, Christiani quidem, sed luxu & deliciis enerues, quibus studium erat totos dies in theatris desiderare, grauitatem iam ferre sui principis nequibant, qui histriionum spectator & applausor non esset. Quod igitur vnum poterant, petulantissimam linguam in eum vibrarunt; eo consilio, uti tranquillissimo pectori extorquerent patientiam. Ille tot dictæria & venenatos sales non ferro aut igni vindicauit, (quæ tamen urbanitas in omnibus regibus extimescenda est) sed iocos illis quosdam, quorum est incomparabilis venustas, reposuit. Ita, qui omnia videbat ex se vno pendentia, contumelias tuas nulla acerbitate executus est, pulcrumque auxit & se dignum, impune lædi. Fuit profecto, fuit Græcorum, quorundam, qui ea tempestate ecclesiam rexere, magna imprudentia. Etenim, uti causæ suæ seruirent, principem Chri-

stianis infestum laceſſebant, quem tolerare ſatius fuiſſet. Sunt in hominum manibus orationes eorum, in quibus, tanquam in ſcena, palam eum omnibus ludibrium fecere, & faciem illius, formamque corporis, atque geſtus, tum alia fortuita, quæ vulgus & imperitiſſimus quiſque notat, traxerunt in culpam. Qui viri ſi meminiffent temporum, quibus nati erant, ſane neceſſitati, quæ pertinax regnum tenet, ſine contumacia paruiſſent, & quod magnæ prudentiæ eſt, obſequio mitigaffent imperia. Sed nos eam rem in medio relinquimus. Id enim modo agimus nunc, uti Iulianum cum cæteris principibus, Græcis Romanisque, hominibus paganis, componamus. Quorum ille virtutes ſic ſuperavit, uti, quæ ſingulis partitim contigere, eas vnus hic habuerit vniuerſas. Rariſſimam enim rem, & prope inuidendam, magno ſtudio concupiuit, innocentiam; & (ſine inuidia dixerim) adſecutus eſt. Cæterum, qui vitæ ipſe ſuæ morumque acerrimus cenſor eſſet, haud facile cæteris rerum dominis, magnis ſane viris, ſed negligentius interdum viuentibus, malefacta condonabat. Bello inſignis aliquis fuerat, ſed pacem multis vitiis fœdabat. Alius quam in toga, pepererat laudem, inter arma temeritate aut ſocordia amiſit. Poſtremo, nemo adhuc extiterat, quem ipſa regni indoles ſceleris atque flagitiorum viam non doceret. Quæ quum perſpexiſſet noſter, librum ſcripſit eruditiffimum, in quo vniuerſos Cæſares, qui ante ſe Romanis imperitauerant, mira tetigit dexteritate. Neminem enim eximium habet, ac ne Marco quidem Antonino, cuius ſe imitatoreſ profitetur, pepercit. Itade tota antiquitate veluti iudex ſedet, & dum cenſuram agit regnantium, plus ſane quam regnare videtur.

Eum librum quum nuper attentius perlegerem, iucundiffima voluptas animum pertentauiſt meum, impetusque mihi fuit totum illum e Græco vertere, ne quo ornamento in hoc quoque genere careret Romani ſermonis maietas. Fecerat hoc pridem ante nos, ſummæ dignitatis ſenator, Carolus Cantoclarus, vir inter primos Gallorum eruditus, ſed qui aditum profecto nequaquam noſtris præcluſit conatibus. Multa enim & perperam dixit, & plura non intellexit, & quæ corrupta erant, præteriit, magna alieni iudicii ſecuritate. Mihi conſilium eſt, quidquid inſuper illius principis

cipis extat, propter summam, quæ ubique hic elucet, eruditionem, in posterum non omnino spernere. Quamquam scio hercle, nihil scripsisse eum unquam, quod ante CÆSARE Sistos iure possit poni. Itaque tam illustre monumentum haud esse ego indignum censui, quod tuum sibi nomen, amplissime ZEISTI, præscriberet. Enimvero es tu ille, qui in urbe florentissima, atque in hac luce hominum, præstanti honore, summa eruditione, prudentia emines singulari; plane uti & patriæ tuæ vigilantissimum ciuem, & cunctis eruditis, qui hic sunt, virum repræsentantes doctissimum. Super omnia tamen est, quod tali ingenio es, uti, qui cæteras animi tui virtutes, magnas hercle & inusitatas, colunt, plus tamen diuinum tuum iudicium mirentur. Qua ego re fretus, anxiiis morosisque hominibus, qui nihil, nisi quod vulgus probat, sequuntur, superstitionem relinquo suam. Quæ enim de Iuliano dixi, ea nec ego primus sentio; & tu, quum verissima sint, inuitis etiam omnibus, adserenda fateberis. Certe primum maximumque animi nostri bonum, veritas est: cuius neque regnum nos unquam nobis eripi per vim sinemus; & quod ingenuæ simplicitatis est, virtutes etiam in impiis paganisque positas, sine odio, sine partium studiis, persancte venerabimur.

D. IVLIANI IMP.

CÆSARE S.

sive

SATYRA IN ROMANOS IMPERATORES.



Aturnalia nunc sunt, & ludendi orium Deus nobis facit. Itaque licet ridiculum nihil neque iocosum mihi in mentem venit, tamen vel sic operæ pretium est quædam etiam seria narrare. AM. Quid igitur? Adeone hebes quisquam & rerum ignarus est, uti posse se speret cum cura & molimine iocari? Ego vero sic in animum induxeram, esse hos lusus nihil hercle aliud, quam animi remissionem, & curarum requiem. IUL. Haud fefellit te ratio. Verum mecum haud eadem res est. Nam nec ipse quenquam falsè tangere, nec aliorum dictis ad ludendum uti, aut omnino ridicula dicere scio; & tamen, quoniam

niam legi est atque consuetudini parendum, vñ tu quasi per iocum fabulam tibi quandam exponam, in qua multa sunt auditu haud indigna? AM. Immo tu vero cupido & haudenti narraueris. Nam nec ego spernere omnino eas, quæ meliores sunt, fabulas soleo; & in ea re tecum mihi, aut potius cum Platone nostro, conuenit: quippe ille grauiam multa & seria fabulis persecutus est. IUL. Est ita, vti dicis, profecto. AM. Sed quæ illa tandem, aut qualis est fabula? IUL. Non e veteribus aliqua, quales Æsopus finxit; sed eiusmodi commentum, quod tu a Mercurio profectum si dixeris, nihil errabis. Id enim tibi, vt ab illo accepi, referam: vtrum autem verum sit, necne, ipsa res arguet. AM. Satis tu quidem poetarum nobis & rhetorum more præfatus es: nunc mihi rem, vt se habet, ediffere. IUL. Iam audies.

Romulus in cœlo, quum de more Saturnalibus, optimo dierum, sacrificaret, cunctos inuitauit Deos, atque ipsos etiam Cæsares. Parati erant lectuli: Diis quidem in suprema cœli regione,

ad pulcrum (namque illa Deum domus audit) Olympum; quippe post Herculem illuc ascendisse fertur Quirinus; quo quidem nomine ille nobis, siquidem Deum responsis paremus, appellandus est. Et Diis quidem illic instructum est conuiuium. Sub ipsum vero lunæ orbem, in summo aere, Cæsares epulo excipere placuit: quo in loco illos & corporum, quibus amicti fuere, leuitas, & lunæ rapida circumuolutio sustinebat. Igitur Diis illis, qui primi dignitate maximique erant, quatuor lectuli sternebantur, decoro apparatu. E fulgente ebano Saturni thorus erat, cuius colori nigro & obscuro copiosa tamen ac pene diuina lux indita fuit, nemo vt illam contra intueri posset: quippe ita oculi illius fulgore perstringebantur, ut solis aspectu solent, quoties in illum defiguntur. Iouis lectus argentum nitore, aurum puritate vicit. Id vero vtrum recte electrum, an aliud quiddam diceres, haud satis aperte ille e natura eorum, quæ de metallis solent erui, exponere potuit. Aureis in thronis adsidebant vtrinque mater atque filia, Iuno quidem iuxta Iouem, at proxime Saturnum Rhea. Deorum autem quanta pulcritudo esset, neque ille memorabat, (quippe maius hoc quiddam esse, & sola mente contemplandum aiebat, auditu vero aut narratione percipi, signisue demonstrari non posse) neque vllus vel maximi nominis orator tantam dicendi vim habebit, vti eximium formæ decus, quod in Deorum ore elucebat, effari possit. Cæteris quoque Diis pro sua cuique dignatione paratæ erant sedes. Neque vlla inter eos contentio fuit. Etenim, quod Homerus finxit, (Musis, opinor, dictantibus) suus cuique attributus est locus, quem perpetuo tenere ius illis fasque est. Itaque aduenienti patri quum vna omnes adsurgunt, haudquaquam turbant sedendi ordinem, neque locum alter alterius mala occupant ambitione, sed quid sibi adsignatum sit, meminit quisque. Igitur postquam omnes in orbem consedissent, Silenus Bacchi, vt videbatur, amore captus (nam & formosus erat, & adolescens admodum, atque ore Iouem referebat patrem) applicuit se ad illum; quippe quem educasset olim, suoque ductu rexisset. Is Deum suapte natura ludo atque risu gaudentem, omnisque venustatis auctorem, quum aliis rebus, tum dentatis iocis dictisque ridiculis, oblectabat. Postquam vero & Cæsarum apparatus fuit conuiuium, primus introiit Iulius Cæsar, cui animus ambitiosus, omnia vasta & immoderata cupiens, cum ipso Ioue certabat de regno. Hunc intuens Silenus: tu vero, Iupiter, caue, inquit, ne hic tibi imperium auferre tentet; tanta in eo est dominandi libido. Est, vt vides, insigni corporis magnitudine

tudine & forma; ac mihi si non alia re, at saltem capite, perquam similis. Dum adhuc per iocum hæc Diis haud admodum attentis diceret Silenus, Augustus prodiiit, chamæleontis more varios induens colores, nunc pallida, mox rubente facie, dein obscura, tenebrosaque, & nubila, tandem vero rursus vultum in Venerem atque in venustates remittens. Quin & existimari volebat oculis suis, itidem vt soli, inesse quiddam diuini fulgoris, nec quemquam esse, qui se acrius intueri posset. Tum Silenus: papæ, inquit, vt se in omnes formas mutat istæc bellua! quod tandem magnum malum nobis afferet? Huic Apollo: desine, inquit, nugarum; ego enim hunc Zenonis istius disciplinæ tradam, ac mox ita eum expurgatum dabo, vt purum putumque aurum esse dicatis. Et simul, ades dum, inquit, Zeno, curato alumnum meum. Ille quum ei in aurem occentasset febriculosa quædam dogmata, (vt solent, qui Zamolxidis incantamenta susurrant) statim effecit vt cordatus atque frugi esset. Tertius accessit Tiberius, seверо ac truci vultu, plane vt prudentiam quandam & bellicam virtutem promitteret. Hic quum ad sedem suam se conuerteret, forte in tergo eius cicatrices multæ apparuere: stigmata, inquam, & striz, verberumque vestigia, ac vibices, ex intemperantia atque cruditate, lepræ & impetiginis in modum, iniustæ. Tum Silenus ait:

Longe alius, quam pridem, hospes, nunc esse videris.

Quæ quum dixisset, solito esse grauior videbatur. Itaque huic Bacchus: qui tu, nam serio vultu es, mi pater? inquit. At ille: commouit me, inquit, iste Satyricæ libidinis senex, fecitque vt mei obliuiscerer, atque in medium aliquid adferrem ab Homericis Musis petitem. Atqui auribus te trahet, ait Bacchus: nam & sic olim Grammaticum fertur quendam multasse. Immo ploret, inquit Silenus, in secessu insulæ, (Capreas innuebat) & misero piscatori perfricet faciem. Dum sic iocantur, intrat Caius, deterrima bellua: a quo Dii cuncti auertere oculos. Dein illum Nemesis diris furiisque vlticibus tradit, a quibus in Tartarum missus est. Itaque nihil Sileno in illum dicere licuit. Claudio vero introeunte, Aristophanis Equites cantare incipit Silenus pro Demosthene. Dein, quasi Claudio blandiretur, ad Quirinum conuersus: male factum, inquit, Quirine, quod nepotem tuum sine Narcisso & Pallante, libertis eius, in hoc adduxisti conuiuium: quin age, inquit, accerse eos, & vna, si videtur, vxorem eius Messallinam; sine iis enim prope dixerim mortuum est huius tragædiæ satellitium. Adhuc loquebatur Silenus, quum, ecce, superuenit Nero cum ethara & lauro. Dein ad Apollinem Silenus: iste, inquit, ad tui imitationem se componit. Cui rex Apollo: ego vero, inquit, illi e vestigio coronam auferam: nam neque mea omnia imitatus est, & sicubi id tentauit, haud, vt decet, est imitatus. Illum igitur Cocytus, decussa de capite corona, abstulit. Post hæc plures non eiusdem generis accurrerunt, Vindice, Galbæ, Othones, Vitellii. Tum Silenus: vnde, inquit, Dii, hæc ignobilis imperatorum turba est? sane fumo suffocamur: ne propinquis quidem & necessariis istæ belluæ pepercere. Cæterum Iupiter fratrem suum Serapim intuens, Vespasianum illi monstrat; & mitte, inquit, auarum istum quam celerrime ex Ægypto, vt hanc flammam restinguat: e filiis autem, maior natu quidem cum Venere Pandemio ludat; at, qui iunior est, eum ferreis vinculis, plane vt Phalaridem, teterrimam Siciliae belluam, constringito. Prodiit post hos senex quidam aspectu pulcher, (nam & in senectâ sæpe pulcritudo elucet) affabilis, accessuque facilis. Quem quum reuereretur Silenus, nihil admodum dixit. Itaque Mercurius: de hoc vero, inquit, quid tu nobis ais? Immo vero, inquit, iniquitas hic vestra, Dii, accusanda est, qui

qui sanguinariam belluam quindecim imperare annos fuistis, hunc vero vix vnum. Ne tu id carpe, aiebat Iupiter: etenim post huic multos tibi de meliore nota adducam. Itaque statim Traianus ingressus est, humeris suis Getica & Parthica tropæa gestans. Quem ut vidit Silenus, submissa voce, quasi & latere simul & audiri se velle: iam, inquit, Ioui summo rerum moderatori tempus est videre, ut Ganymedes pocula custodiat. Post hunc quidam promissa barba prodit, incessu superbo & insolenti. Is quum alia multa, tum artem adhuc secum meditabatur musicam; & sublatis crebro in cœlum oculis, multa recondita, & quæ vulgus nescire debet, cum cura agitabat. Hunc intuens Silenus, obsecro, inquit, quid de isthoc sophista vobis videtur? num Antinoum hic quærit? Nuntiet ei aliquis, non adesse hic puerum illum, & simul futilissimum hominem hac deliratione liberet. Dein intrat vir moderatus, haud sane venereis in rebus, sed in reipublicæ administratione. Quo viso Silenus: papæ, inquit, quanta minutiarum rimatio! hunc ego senem vnum esse de istis puto, qui cuminum secant. Dein, quum par fratrum intraret, Marcus Antoninus & Lucius Verus, mire frontem contraxit Silenus; quippe nihil fuit, quod false in eos aut mordaciter diceret, maxime quidem in Marcum. Et tamen huius ipsius quoque errata quædam, circa filium, circaque uxorem, curiose exquisiuit: circa hanc quidem, quod ultra, quam satis est, mulierem luxit haud omnino probam; at circa illum vero, quod imperium perditissimo adolescenti commissum, ruere vna cum illo fuisset in præceps, quum generum haberet gnauum, qui & rempublicam recte tutatus fuisset, & filium eius melius, quam ipse semet, rexisset. Igitur Silenus, quamuis diligenter hæc indagasset, tamen Marci virtutem reueritus, filium. Filium autem eius, quia tanti non erat, dimisit intactum; quippe humi procubuerat, neque stare in gradu, aut cæteros sequi heroas valuit. Accessit Pertinax quoque, & medio in epulo de percussoribus suis questus est. Quem miserata Nemesis: atqui, inquit, qui participes istius consilii, quique auctores fuere, haud sane gaudebunt facto. Quanquam & tu, Pertinax, animo quidem certe & cogitatione videris adiuisse eas insidias, quas Marci filio struxere. Secutus est Seuerus, mire acer atque vehemens pœnarum exactor. De hoc nihil dicam, inquit Silenus, metuo enim hominem trucem & inexorabilem. Ut vero cum illo & filii ingressuri erant, eminus eos Minos prohibuit. Verum simul atque alterum ab altero dignouit, iuniorem quidem introire sinit, alterum vero ad supplicia & inferorum cruciatus misit. Exinde Marcrinus, homo cædes clanculum patrare doctus, ac post hunc adolescens ille, quem Emesa ciuitas edidit in lucem, procul a sacris cœli septis arcebantur. At Alexander Syrus inter postremos sedens, miserum fatum suum deslebat. Quem Silenus irridens: o te hominem, inquit, fatuum & insulsum! tanto enim imperio præditus quum esses, non tu ipse rerum tuarum fuisti dominus, sed matri opes commisisti tuas; neque intelligebas, miser, quanto satius esset, insumere eas in amicorum vsus, quam construere & coaceruare. Ego vero, inquit, Nemesi eos omnes tradam puniendos, qui his rebus auctores fuere. Atque ita dimissus est adolescens. Introit dein Gallienus vna cum patre: hic quidem vincula, quibus in carcere constrictus fuerat, adhuc trahebat; ille vero stola amictus, gressu inundabat molliore. In patrem Silenus hæc lusit:

Quis iste nitens galea
Regit aciem, ac præit?

in Gallienum vero istud:

Qui teneræ auratus lasciuit virginis instar.

Hos ambos Iupiter procul illinc e conuiuio abire iussit. Intrat post hos Claudius; in quem ut defixerant oculos Dii, animum eius celsum atque magnum mirati sunt, eiusque posteris annuerunt imperium. Quippe æquum videbatur, ut eius hominis nepotes, qui patriæ amantissimus fuisset, diu rerum potirentur. Post hos accurrit Aurelianus, quasi eorum manibus elapsus, qui eum apud Minoem detinuerant; multæ enim iniustarum cædium ei mouebantur lites, & quum male causam defendisset, iam reus erat. At Sol vero, deus dominusque meus, qui & alibi opem illi tulerat, haud leuiter nunc in hac quoque re eum iuuat. Quippe palam inter Deos prædicabat, iam & pœnas eum soluisse, & completum esse, quod Delphis editum fuit, oraculum,

Qui patitur, quod fecit, ei ius contigit æquum.

Hunc Probus comitatur, qui septuaginta urbibus intra annos vix septem receptis, multa iniqua & acerba passus, quum alia recti præmia a Diis tulit, tum illud vero maximum, quod percussores eius grauissimas dedere pœnas. In hunc tamen Silenus aliquid dicere conabatur, licet tacere eum plerique iuberent. At finite saltem, inquit, eos, qui post victuri sunt, huius periculo sapere. An ignorabas, Probe, medicos amara pharmaca ægris cum aqua mulsa præbere? Tu vero immitis semper & asper eras, nunquam ut illi cederes. Itaque iniqua tu quidem, sed factis tamen tuis haud dissimilia, tulisti. Non enim equis, non bobus, non mulis, nedum hominibus, feliciter imperes, ni eorum libidini aliquantulum indulgeas: quemadmodum interdum ægrotantibus medici quædam concedunt leuiticula, ut maiori in re obtemperare sibi ne recusent. Quid istuc nam monstri est, mi pater? ait Bacchus; an tu philosophus nobis sic derepente produisti? Atqui (respondet ille) nonne & te, fili, philosophum feci? dein, an nescis Socratem etiam ore mihi & vultu persimilem fuisse, qui palmam inter sapientes sui tulit seculi, siquidem tu Delphicum oraculum haud esse vanum credis? Sic ergo fas nobis non ridicula modo, sed & seria quædam dicere. Adhuc illi inter se loquebantur, quum Carus inferre se ad nos vna cum liberis cupiens, a Nemese abigitur. Tum Diocletianus ambos secum ducens Maximianos, auumque meum Constantium, decenter atque ordine progressus est. Hi manus quidem iunxerant inter se, sed tamen haud pariter incedebant. Quippe quidam quasi chorus eum cinxerat, fueruntque qui satellitum more præire vellent: quos inhibuit ille; nihil enim sibi præ cæteris arrogabat. Ut vero fatigari se sensit, cuncta, quæ humeris gestabat, ipsis imposuit: ipse liber & expeditus ambulabat. Mirati sunt Dii vnanimem istum consensum, dederuntque eis uti præ cæteris digniore sederent loco. Maximianum tamen, hominẽ mire intemperantem, Silenus quidem incessere diceriis noluit; cæterum ad Imperatorum epulũ eum non admisit. Non enim modo erat in libidinẽ pronus, sed & cupidus rerũ nouarum, infidusque, & tetrachordo haud omnino consonans. Itaque expulit eum Nemesis. Ille autem abiit nescio quo terrarum: id enim ex Mercurio sciscitari neglexeram. Huic tam concordis tetrachordo accessit alter quidam grauis, & asper, atque turbatus tonus, qui e tribus erat compositus: e quibus duos sic a Deorum cœtu exclusit Nemesis, uti ne ad vestibulum quidem eos accedere sineret. Licinium vero, qui tertius erat, quum limen attigisset, multa

& absona agitantem, statim abegit Minos. At Constantinus introiit, diuque adsedit; dein post illum & liberi. Nam Magnentio quidem introire fas haud fuit, quia nihil, quod sani hominis esset, fecerat. Etenim etiamsi multa ab illo præclare gesta viderentur, tamen Dii, postquam perspexere non esse hæc a re-cta indole, plorare eum & faceffere fuerunt. Atque hic quidem cœnæ apparatus erat. Fuit autem Diis nullius rei inopia, omnia enim abunde habent: sed heroum cœtui Mercurius deesse aliquid existimauit; a quo nec Iupiter dissensit. Etiam Quirinus iamdudum petierat, ut aliquis illuc de sua gente introduceretur. Tum Hercules: nunquam erit, inquit, Quirine, ut hoc patiar: cur enim Alexandrum quoque meum ad hanc cœnam non vocasti? te igitur rogo, ait, summe Iupiter, si quem istorum introducere ad nos statuisti, Alexandrum accerse. Etenim, quandoquidem virtutem cuiusque experiri nunc & tentare libet, cur, obsecro, eum, qui cunctis præstantior est, abesse patimur? Recte dicere Alcmenæ filius Ioui videbatur. Intrante autem Alexandro, nec Cæsar illi, nec alius quisquam adsurrexit. At ille, reperta ea sede, quam vacuum illi fecerat Caracalla, (propter fratris enim necem expulsus est) adsedit. Tum Silenus Quirino illudens: vide, inquit, ne omnes isti nepotes tui virtute & fortitudine infra vnum hunc Græcum sint. Immo per Iouem, ait Quirinus, existimo multos e meis haud esse illo deteriores. Est ille quidem tanta in admiratione apud posteros meos, uti vnum hunc e cunctis barbaris Magnum & dicant, & habeant: sed neminem tamen e sua gente huic cedere arbitrantur, siue quod sua amant, siue quod ita res est. Hoc autem quale sit, iam experimento discemus. Dixerat Quirinus, & erubuit: quippe de nepotibus suis angebatur, ne forte illi secundas ferrent. Post hæc consuluit Deos Iupiter, utrum omnes inter se committi, an vero istud certamen institui ad gymnasiorum morem oporteret; in quibus, si quis eum, qui sæpe victor fuit, superauerit, is, licet vno hoc tantum superato, nihilominus etiam superasse illos videtur, qui cum ipso quidem non certarunt, sed ab eo, quem ipse superauit, deuicti sunt. Atque ea iudicii faciendi ratio omnibus accurata esse videbatur. Igitur Cæsarem Mercurius alta voce citauit: dein Augustum: tertio Traianum: in illis enim plus bellicæ virtutis erat. Tum silentio facto, rex Saturnus, Iouem intuens, mirari se ait, cur ex Imperatoribus eos quidem, qui bellica excellere laude, ad istud certamen vocasset, e Philosophis autem neminem; quos ego tamen, ait, non minus, quam istos, amo: itaque & Marcum intro vocate. Et ille quidem accersitus adfuit, grauis admodum & seuerus, & cui oculos faciemque contraxerant nimix curæ: pulchritudo autem hac ipsa in re elucebat maxima, quod incomta & neglecta forma esset; barba enim erat promissa, amictu vili, & ad philosophi modestiam composito; tum & ex ciborum abstinentia corpus ei ab omni parte lucidum erat, plane (opinor) instar purissimi luminis. Iam igitur & ille sacra septa intrauerat; & simul Bacchus: maxime regum, inquit, Saturne, num decet apud Deos aliquid reperiri imperfectum? Negantibus illis, Ergo, inquit, etiam hominem aliquem voluptarium huc accersamus. Atqui, ait Iupiter, absit, ut huc pedem quisquam inferat, qui nostra nosque non sequitur. Immo in vestibulo stet, ait Bacchus, atque illic eius causa agatur. Cæterum, si hoc placet, vocemus hominem haud imbellem quidem, sed voluptatibus tamen & deliciis emollitum. Accessit igitur vsque ad vestibulum Constantinus. His ita decretis, de modo certaminis relatum est. Ac Mercurius quidem

quidem censuit, vti sigillatim pro se diceret quisque, ac dein Dii ferrent suffragia. Apollini autem secus visum est: quippe ex ipsa re, non ex dicendi arte, aut e verborum lenociniis, iudicium debere fieri. Iupiter, quum & vtrique obsequi, & concilium vellet in longum trahere: nihil verat, inquit, quin & dicere illis permittamus, (pauillum enim aquæ in clepsydram cuiusque fundemus) & dein interrogemus singulos, ac mentem cuiusque exquiramus. Tum Silenus, amarum ridens: atqui caue, inquit, Neptune, ne Traianus & Alexander aquam istam esse nectar credant, ac dein, quantum adfusum est, exorbeant, cæterisque spatium dicendi nullum relinquunt. Cui Neptunus: non hi profecto meæ aquæ, sed vestri liquoris amantes fuere; tuis igitur vitibus te magis, quam meis me fontibus, timere decet. Silenus tam mordaci dicto tactus, siluit, & ad contendantium certamen animum deinceps aduertit. Mercurius autem hæc edixit:

*Iudex pulchra
Præmia palma
Laturus adest,
Tempusque vocat,
Prohibetque moras.
Nunc præconis
Regia turba,
Percipe vocem,
Quotquot domitis
Marte secundo
Populis quondam,
Arma, simulque
Prouida corda
Geritis, prompta
Semper in hostem;
Nunc iudicio ad-
surgite nostro.
Seu vim mentis,
Finem humani
Ponitis aui,*

*Summamque boni
Ducitis, hosti
Nocuisse suo,
Et opem socio
Ferre petenti:
Sive voluptas
Meta laborum
Placet, atque epula,
Et dulcis Hymen,
Oculosque iuuat
Pascere: seu vos
Humero molles
Ferre lacernas,
Gemmisque agiles
Cingere dextras
Dulce putatis.
Iouis in gremio
Positam vobis
Credite palmam.*

Dum hæc edicit Mercurius, sortes duxere. Ac Cæsar quidem, cui studium semper fuerat primas vbique ferre, etiam hic sortem habuit suis fauentem votis; eaque res animum eius tumidum atque insolentem fecit. Itaque prope fuit, vti iudicium Alexander subterfugeret: sed retinuit eum animauitque maximus Hercules. A Cæsare secundum dicendi locum fors Alexandro adsignauit. Cæterorum sortes suo cuiusque ordine prodierunt. Cæsar igitur sic inquit: *Mihi quidem, Iupiter, vosque Dii cæteri, post tot clarissimos viros in tanta nasci vrbe contigit, qua tam late, atque vlla vnquam ciuitas, domi nata est, & a qua cætera proximum se locum tenere pro magnifico duxerunt. Etenim quam tandem vrbs, a tribus hominum millibus ortum ducens, vix totis sexcentis*

annis, imperium suum ad extremos mundi fines armis protulit? quæ unquam prisca gens tot præstanti virtute & fortitudine viros, aut tot reipublica moderatores edidit? denique Deos quinam tanta pietate venerati sunt? In hac tanta & tali urbe genitus, omnes ego, qui aut mecum vixere, aut antea fuere unquam, rerum gestarum gloria anteiui. Atque ex ciuibus quidem meis, nemo hercle quisquam, opinor, est, qui gloria se mihi anteferre studeat. Quod si Alexander iste facere id audet, obsecro vero, quodnam præclarum facinus suum meis cum gestis conferet? Fortasse, quæ aduersus Persas gesit scilicet, quasi non viderit tot a me erecta de Pompeio troppa. Atqui, vter grauior castrorum imperator fuit, Darius, an Pompeius? aut vter fortiozem ductauit exercitum? Pugnacissimis sane illarum gentium, quæ Dario ante paruere, Pompeius pene vti Cares & calones, in exercitu suo habuit. Ex Europæis autem ii aderant, qui Asianos, bellum inferentes, non semel profligarunt: atque ex his ipsis fortissimi quique; Itali, inquam, Illyrii, Celtæ. Verim, quoniam Celtarum feci mentionem, num rebus illius in Getia gestis subactos a nobis Celtas quisquam opponet? Semel ille Istrum transit; ego bis Rhenum. Iam vero, quæ in Germania feci, eiusmodi sunt, vti nemo quisquam par iis sit. Ego cum Arioniso congressus sum: ego primus Romanorum exterum nauigavi mare: prius illud facinus meum eximium est: rursus & hac quoque audacia admirationem meretur. Sed multo illud maius, quod primus e nauis exscensum feci. De Heluetiis, deque Iberis taceo. Nihil adhuc eorum, quæ in Gallia feci, memoro: quum tamen illis plus quam trecenta oppida, & hominum non minus quam vicies centena debellauerim millia. Quæ quum eiusmodi sint, tum illud vero maioris hercle animi fuit, quod, quum in eum adducta locum res esset, vti cum ciuibus meis manus conferere deberem, ipsos illos Romanos, indomitos antea inuictosque, subegerim. Igitur siue e præliorum multitudine res iudicetur, ter toties ego acie conflixi, quoties conflixisse Alexandrum ii prædicant, qui res illius student magnifice extollere: siue captæ urbes numerentur, non Asia solum, sed & Europæ plerasque deleui. Alexander Egyptum duntaxat adspectans præteriiuit; ego eam, dum conuiuia agitarem, domui. Quid autem? etiamne experimento discere nunc vultis, quanta vtriusque post victoriam fuerit moderatio? Ego hostibus quoque ignoui, a quibus sic dein acceptus sum, vti res Diuæ scelerum vltimæ curæ fuerit: hic, præterquam quod in hostes seuerit, ne quidem ab amicis sibi temperauit. Et tu mihi igitur de primatu controuersiam facies, ac non potius e vestigio, ita vti ceteri, mihi cedes? Sane quidem tu hercle in eam nunc me adducis necessitatem, vti tacere nequeam, quam tu crudelis erga Thebanos, ego vero in Heluetios quam fuerim lenis. Nam tu quidem urbes eorum incendisti; ego eas, quæ ab incolis & ciuibus exusta erant, restauraui. Vtrum vero pluris est, Græcutorum decem millia superasse, an vero centies quinquagies millenorum excepisse vim atque impetum? Multa mihi insuper de me, deque isto, dicenda restant: verum, quia tempus & otium deerant, haud satis ad dicendum præmeditatus accessi. Vos ignoscite, & ex his quæ dixi, quæque præterii, quid æquum iustumque sit, exquirite, mihi que primas date.

Dixerat hæc Cæsar, & adhuc loqui voluit. Verum Alexander, etiam antea moræ impatiens, non vltra se continuit, sed veluti commotus, magna cum contentione: Ego vero, inquit, summe Iupiter, Diique ceteri, quousque tandem huius confidentiam tacitus feram? Etenim sine fine, vti cernitis, & se laudare, & me incessere probris pergit. Atque æquum quidem fuerat, vti ab vtroque temperasset: (etenim vtrumque pariter molestum videtur, sed illud tamen præcipue, quod mea

culpet

culpet facta, quæ imitari studuit) ceterum ille eo impudentia processit, uti ipsum illud rerum suarum exemplar maligne vituperet. Vtinam vero meminisses, Caesar, illas lacrymas, quæ tibi eruperunt, quum illa, quæ extant, rerum mearum monumenta audires. Verumenimvero Pompeius, opinor, post eam tempestatem superbum te fecit, qui & civium suorum corruptus adulatione erat, & virum se præbuit nusquam. Nam triumphum quidem illius de Afris actum, rem per se haud magnam, celeberrimum fecit eorum consulum, qui tunc fuere, segnitias. At servile illud bellum, non contra viros susceptum, sed contra vilissima mancipia, alii confecere: Crassus, inquam, & Lucius; ceterum gloriam eius rei atque titulum sibi Pompeius vindicavit. Armenios vero, eosque qui iuxta siti sunt populos, Lucullus perdomuit: Pompeius de iis triumphum egit. Dein per adulationem a civibus suis Magnus dictus est, is scilicet, qui cunctis, quotquot ante se nati erant, minor fuit. Etenim quidnam fecit unquam, quo aut Marium equauerit, aut utrumque Scipionem, aut denique Furium istum Camillum, qui, ecce, proxime hunc Romulum eam ob causam adsidet, quod illius urbem pene collapsam restituit? Non enim profecto, sicut adificiis publico sumtu structis, quæ alii fundarunt perfeceruntque, magistratus alius, pariete paullum dealbato, suum inscribit nomen; sic illorum nomina alienis sunt inscripta factis: verum ex iis ipsis rebus, quarum architecti effectoresque fuerant, pulcherrima accepere nomina. Non igitur novum est, si Pompeium vicisti, qui caput digito scaberet, & qui vulpecula magis haberet, quam leonis, ingenium. Etenim postquam eum fortuna destituit, cuius præsens auxilium ante senserat, statim tu hominem, ab adiutrice illa desertum, vicisti. Certe quidem res manifesta est, nulla te virtute tua victorem abuisse. Quum enim in summa rerum necessariorum esset penuria, (quod est, uti nosti, maximum imperatoris peccatum) praelio conferto, victus es. Quod si Pompeius tanta stoliditate & amentia fuit, uti aut recte imperare suis nesciverit, aut, quum trabendum esset bellum, pugnam non distulerit, neque suos urserit successus; certe sua ille culpa, ac non virtute tua tuisue consiliis, cecidit. At vero Persæ, qui bene & prudenter cuncta, quæ ad bellum opus erat, parauerant, virtuti nostræ concessere. Ceterum quoniam virum bonum (qualem esse principem volumus) non modo decet res gerere, verum illud quoque providere, quam iuste unumquidque & quam recte geratur; ego Persarum in Græcos iniurias armis ultum iui, atque adeo aduersus ipsos Græcos suscepi bellum: haud sane ut Græciam attererem, sed ut eos compescerem, qui transire me, & pœnas a Persis reposcere vetuerunt. Tu vero Germanos Gallosque ideo debellasti, uti postea illas ipsas manus tuas in patriam tuam armares. Quo quid peius, obsecro, quidue esse turpius potest? Quandoquidem autem, veluti per risum, decies mille Græcos a me deuictos memorasti; profecto quod ex ista regione ortum vos trahitis, quodque Italiae maximam partem olim Græci habitauere, etiamsi verum esse sciam, tamen hoc in numerum eorum, quæ dicturus sum, non addo. Nam inter illos ipsos exiguam quandam & contemptam gentem, Ætolos inquam, quos magni putabatis socios amicosque habere, postea (nescio ob quam causam) bello a vobis petitos, non sine ingenti discrimine vestra accipere imperia docuistis. Igitur si in extrema Græcia (sic enim iure appelletur) senectæ, non ad vniuersam illam, sed ad paruam duntaxat gentem perdomandam, qua, quum res Græcorum florerent, ne nomine quidem nota erat, vix satis virium (pene dixerim) habuistis: quid, quæso, vobis factum foret, si aduersus vigentem adhuc vnanimemque Græciam bellum vobis fuisset gerendum? Certe quidem & illud meministis, quum Pyrrhus ad vos veniret, quanta omnium fuerit trepidatio. Verumenim-

vero, quoniam Persas vicisse paruum putas, remque tantam audes ridere: dic, obsecro, cur exiguum illud terra, quod ad Tigrim fluvium sub Parthorum est ditione, post trecentos & amplius annos, quibus id bellum gestum est, nondum tenetis? vincissam tibi dicam? Persarum vos isthinc tela prohibuere. Dicat tibi de illorum virtute Antonius, qui prima militia rudimenta sub te magistro didicit. Ego vero, non totis decem annis, illos simul atque Indos subegi. Et tu igitur tanta fidentia es, uti in certamen me vocas, qui & a prima pueritia dux belli fui, & eas gessi res, quarum memoria, licet nunquam digne scriptoribus celebrata sit, tamen victura semper mecum est? Certe enim plane idem mihi in hac re, quod Herculi, domino atque regi meo, contingit, quem colui ego atque amulatus sum. Nam cum Achille, generis mei auctore, pene ex aequo certabam. At Herculem suspexi, eiusque vestigiis, utcumque sequi potest homo deum, inhaescebam. Hac sunt, Dii, quae adversus illum dicenda pro me habui: quanquam fortasse tacuisse satius fuerat. Quod si atrociter aliquid feci, non hercule id factum a me adversus insontes est, sed aut in eos, qui saepe & non una re me offenderant, aut qui tempore & occasione male essent atque inepte vsi. Quae igitur in hos quidem, quos posterius dixi, designaueram, eorum me postea cepit Poenitentia: quae diua sapere plerisque dat, eosque, qui deliquere, praestat integros. At ceteros, quibus ambitio & studium fuit hostilia saepe patrare, meque laceessere, si ulciscerer, nihil mihi facere inique videbar.

Finierat ille plenam bellici spiritus orationem; & iam clepsydram ad Augustum detulit Neptuni puer, eique parcius aquam adfudit, quum ob temporis, quod restabat, angustias, tum quod animo repeteret qua olim ille fuisset in hunc Deum insolentia. Ille, ut hoc intellexit, (quippe ea erat hominis industria) nihil in aliorum rebus percensendis immoratus: Equidem ego, inquit, summe Iupiter, vosque Dii, temperabo nunc mihi, ne aliorum facta traducam aut extenuem, sed de me ipso omnis haec mihi futura est oratio. Adolescens quum essem, urbis meae tutelam suscepi, plane uti Alexander iste, cuius est excellens animi magnitudo. Caesarem autem hunc, patrem meum, secutus, feliciter Germanica bella confeci. Ad hoc, civilibus armis quum confligerem, navali praelio apud Actium facto, Aegyptum debellavi. Brutum vero atque Cassium vici apud Philippos. Sextum Pompeii filium, in transitu, non aliud quam accessionem quandam meae putavi expeditionis. Iam vero sapientiae magistris ita me docilem praebui, uti Athenodori liberrima verba, nulla indignatione, sed sereno vultu tulerim. Quippe hominem sic plane, ut paedagogum, aut potius ut patrem, reverebar. Arius quoque in amicorum inque familiarium numero mihi est. Ad summam, nihil omnino usquam in philosophiam peccavimus. Ceterum quum civilibus dissidiis rem Romanam saepe in extremo sitam cernerem, sic omnia ordinaui, uti urbs in posterum iam ferrea tota sit. Etenim qui immodica dominandi libidine non vinceret, haudquaquam profecto id studebam, uti omnia, quae ubique sunt, ad illius imperium adiungerem; sed duos veluti terminos, quos ipsa dederat natura, posui, Istrum atque Euphratem. Dein Scythias Thracibusque domitis, quum vos mihi plures imperii annos adderetis, quod superfuit otium, sic egi, uti non bella quaererem ex bellis, sed leges conderem, & quidquid belli impetu percussum atque prostratum erat excitarem. Quae dum faciebam, equidem videbar mihi sic reipublicae consulere, uti nemini maiorum meorum concederem, sed (si libere loqui licet) cunctos vincerem illos, quibus unquam huiusmodi imperium Dii commiserant. Etenim ex his alii in expeditionibus extremum

Spiri

spiritum consumserunt, & quum perfrui pace possent, bella e bellis pararunt sibi, plane ut contentiosis hominibus lites meditari mos est: nonnulli, quum armis lacefferentur, luxui atque ventri dediti, foedisimam voluptatem non ante famam modo, qua ad posteros manat, sed ante salutem quoque suam posuere. Quae quum cogito, sane haud postrema me gloria parte dignor. Caterum vos quod censueritis, Diu, id uti ego gratum acceptumque habeam, par est.

Statim dein Traiano dicendi potestas fit. Is vero, licet facundia polleret, tamen praë ignauia (ut qui Suræ pleraque pro se scribenda mandauerat) resonans potius inconditum quiddam, quam loquens, Getica Diis & Parthica ostendebat tropæa. Senectutem quoque suam accusabat, per quam Parthicum conficere bellum haud licuisset. Tum Silenus: atqui, inquit, hominum stultissime, viginti annos imperium tenuisti; at Alexander hic duodecim. Et cur tu igitur, dissimulata ignauiae tuæ culpa, temporis incusas angustias? Concitatus ille tam mordaci dicto: (nec enim plane dicere indoctus erat, verum, quod vinosus esset, vim ipse suam ingeniumque hebetauerat) Ego, Iupiter, inquit, Diuque cateri, quum imperium suscepissem, cuius erant omnes partes remissa atque dissoluta, non tyrannide modo, qua diu domi inualuerat, sed foris quoque Getarum populationibus; solus, inquam, ego eas, qua trans Istrum sunt, gentes adii; Getasque extirpauit, qui sunt omnium, quotquot vnquam fuere, hominum bellicosissimi, non ob corporis modo robur, sed quia penitus animis infixata tenent, qua illis Zamolxis persuasit, qui magnis illic colitur honoribus. Non enim morte interire se, sed alio migrare, quodam opinionis credunt errore; eaque res efficit, uti sint ad incerta casuum paratiores, qui duntaxat animæ quandam expectant in alio orbe peregrinationem. Hæc autem ego intra quintum gessi annum. Neque illud bercule obscurum est, omnium me, qui ante vixerant, Imperatorum longe in ciues fuisse clementissimum. De qua laude, nec Caesar iste, nec alius quisquam, mecum certabit. Parthos autem, quamdiu nulla laesus essem iniuria, armis me adoriri haud debere existimaui: at, simul ac laesere, nihil senecta tardatus, exercitum in eos duxi, quum tamen mihi leges iam militia dedissent vacationem. Hæc quum ita sint, nonne praë cateris dignus esse honore videor, quem & subditi mitem, & hostes mire experti sunt formidabilem; quique insuper philosophiam, diuinam vestram sobolem, perquam reuerenter colui?

Quæ quum dixisset Traianus, praë cateris illi omnibus clementiæ adiudicata laus est, ipsaque re apparuit, maxime hanc virtutem Diis esse gratam. Ut vero Marcus orsus est loqui, Silenus submissim ad Bacchum: audiamus, ait, Stoicum istum; quidnam tandem nobis proferet e paradoxis istis & portentosis opinionibus? Ille ad Iouem oculis adque Deos versis: Mibi, inquit, Iupiter, vosque Diu, nihil verbis aut contentione est opus. Etenim si facta mea nesciretis, sane vos ea ex me discere oporteret. Nunc, quoniam nota hæc vobis sunt, neque fugere vos quidquam potest, vos mihi id, quod meritus videbor, tribuite. Igitur Marcus, quum cætera esse homo admirandus, tum vero maxime sapere censebatur, quippe qui nouisset

vbi vel tacere, vel decorum sit loqui.

Post hunc Constantino facta loquendi copia est. Atque ille initio quidem plenus optimæ spei ad certandum processit; at post, ut aliorum ingentia facta considerauit, sua esse didicit oppido parua. Etenim (si dicere, quod res est, decet) duos interemit tyrannos, vnum quidem imbellem atque effœminatam, alterum vero fortunæ vexatum acerbitate, & insuper fractum senecta, vtrumque vero Diis

ro Diis hominibusque inuisum. Nam de Barbaris quidem, risu digna erant, quæ egerat: stipendia enim illis, quasi tributa, pependit, & luxui fuit propior. Is igitur procul a Diis, in limine stabat ipsius Lunæ. Huius enim ille amore tenebatur, eamque defixis adspectans oculis, de victoria haud sollicitus erat. Quoniam tamen & ipsi dicendum aliquid fuit: *His ego rebus, inquit, omnes istos antecello: Alexandrum quidem istum, quod cum Romanis, Germanisque, & Scythis, non autem hercule cum barbaris Asianis, bella gessi: Casarem autem, atque Octavianum, quod non, ut illi, in ciues probos bonosque, per dissidia intestina, sed aduersus impurissimos pessimosque tyrannos, arma sumsi. Nam Traiano me quidem res hæ, quas aduersus illos ipsos tyrannos feliciter gessi, iure fecerint clariorem. Quod autem armis eam recepi regionem, quam ille ceperat prius, ea re merito par illi possem videri; ni maius esset, quæ amiseris, recipere, quam, quæ parta nunquam sunt, querere. Marcus vero, quum nihil pro sese dicat, nobis vniuersis primas cedit.*

Ibi Silenus: Quid? inquit, an tu Adonidis hortulos, Constantine, ceu res veras atque solidas, nobis obrudis? At quinam sunt illi, inquit, quos appellas Adonidis hortulos? Hi nempe, (ait Silenus) quos Veneris marito mulieres instruunt, ingesta in testas leui terra, uti oluscula surgant; quæ vbi breue tempus florere, statim marcescunt. His dictis Constantinus erubuit: quippe res suas plane esse huiusmodi agnouit. Demum, quum silentium esset, alii quidem expectare velle videbantur, cuiam Dii suffragiis suis primas darent. Nonnulli autem sic existimabant: consilia cuiusque in apertum esse proferenda; non enim æquum esse, uti iudicium ex factis tantum fieret, quorum maximam partem sibi Fortuna vindicare posset. Coram enim adstabat ea Diua, & omnes ingenti clamore incusabat, excepto solo Augusto: hunc enim recte semper dona sua affirmasse perhibebat. Visum est igitur Diis, hanc quoque rem Mercurio committere. Ac primum quidem iusserunt, uti ex Alexandro exquireret, quidnam esse duxisset optimum, quæue spe ea omnia fecisset tulissetque, quæ fecerat quæque tulerat? Ille ait: propositum sibi fuisse, cuncta perdomare. Tum Mercurius: an igitur, inquit, hoc te fecisse autumas? Sane vero, ait Alexander. Inter hæc Silenus cum mordaci cachinno: At domuerunt te non semel, inquit, nostræ filia. Vites autem intelligi voluit, atque Alexandrum, hominem ebriosum & vini amatorem, notabat. Huic Alexander: (quippe adhuc plenus erat Peripateticorum captionibus) Non hoc, inquit, egi, uti res inanimas, cum quibus nullum mihi certamen fuit, sed uti omne hominum atque omne ferarum vincerem genus. Tum Silenus, miranti similis, iocose admodum: oh, oh, inquit, dialecticorum versutias! tu vero vtrum inter inanima te, an animata inter & viuientia pones? Ille, veluti indignatus: Bona verba, inquit; ea enim animi magnitudine sum, uti Deum fieri me posse, immo uti iam esse, credam. Atqui, inquit Silenus, sæpe te ipso minor fuisti, quum iræ animum, aut ægritudini, aut simili submitteres affectui. Immo, inquit Alexander, maiorem se ipso minoremque fieri, æquiuoce de vno eodemque dicitur: ego vero, ut me aduersus alios gesserim, narro. Papæ, ait Silenus, quæ hæc dialectica est! ut tu docte nostra sophismata refellis! Cæterum, quum in India vulnerareris, & tibi Peucestes circumfusus esset, tuque animam singultans, vrbe educeris, vtrumne victus tunc ab illo abiisti, qui hoc tibi vulnus inflixerat, an vero & illum quoque vicisti? Sane, inquit, non illum modo, sed ipsam quoque deuici urbem. Haud tu quidem, bone vir, inquit Silenus:

lenus : etenim iacebas, vti Homericus Hector, viribus atque anima prope defectus, cæteri pugnabant, vincebantque. Nempe, me duce, inquit Alexander. Cui Silenus : & quomodo, inquit, sequi te potuere, quem pene mors occupauerat? Dein ista Euripidis cecinit :

*Ne nostra morem Græcia vsurpat malum,
Ex hoste ponit quum tropæa exercitus.*

At Bacchus: desine, inquit, mi pater, istiusmodi sermonum, ne sic te ille, vt Clytium, excipiat. At Alexander erubuit, oculosque eius lacrymæ turbarunt, neque quidquam dixit. Atque hic finis illius sermonis fuit. Mercurius dein Cæsarem interrogauit, & : tibi vero, inquit, Cæsar, quid in omni vita propositum fuit? Vti primus, inquit, inter ciues meos forem, neque cuiquam aut essem aut haberer secundus. Atqui vero, inquit Mercurius, nimis hoc obscurum est. Vtrum enim sapientiæ in studiis, an dicendi in facultate, an in bellica arte, an denique in reipublicæ administratione hoc esse positum existimalti? Maxime voluisssem, ait Cæsar, omnibus rebus omnes antecellere: verum quia hoc non poteram, illud operam dedi, vti inter meos ciues plurimum potentia mihi esset. Quid, inquit Silenus, tunc multum apud eos valuisti? cui ille: omnino, ait, imperium enim in eos tenui. Es tu quidem illud affecutus, inquit Silenus; sed assequi beneuolentiam eorum haud potuisti, etiamsi, tanquam in fabula, aut in scena, summam simulacrales humanitatem, cunctisque in seruire obsequium te submitteres. Annon igitur populo, inquit, carus fuisse videor, qui percussores meos Brutum atque Cassium sit persecutus? Sane, inquit Silenus, non hoc idcirco factum est, quia occiderant te illi, (ob hanc enim causam consulatus illis vnanimi delatus est consensu) verum quia pecuniæ facta spes erat. Etenim, simul ac de testamento tuo intellexissent, non mediocrem indignationi suæ scriptam videbant mercedem. Iam hic quoque sermo finem repererat, quum Mercurius iterum Augustum pupugit, & : tu vero, inquit, non dices nobis, quid esse pulcherrimum duxeris? cui ille: pulcre, inquit, imperare. Ergo, inquit Silenus, quid sit istud tuum pulcre, expone nobis Auguste: nam & pessimus quisque hoc dixerit: itaque Dionysius quoque sua opinione pulcre imperitabat, &, qui illo impurior fuit, Agathocles. Tum ille: vtique meministis, inquit, quum nepotem meum a me dimitterem, orauisse me vos, vti Cæsaris fidentiam, Pompeii acrem animi vim, meam autem illi daretis fortunam. Inter hæc Silenus: iste vero, inquit, pupparum effictor multa nobis Deorum tutelarium simulacra congeffit. Vnde tu, ait Augustus, istud iocosum nomen mihi das? Quid vero, inquit Silenus, annon, sicuti illi nymphas, ita tu nobis, Auguste, effinxisti Deos? quorum vnus, ecce, etiam Cæsar iste est. Igitur Octavius, velut oculos præ pudore attollere veritus, conticuit. Mox Mercurius in Traianum intuens: tibi vero, inquit, quid consilii fuit, quum ea geres, quæ gessisti? Ego, inquit ille, eadem omnia, quæ Alexander, sed moderatius, appetii. Immo tu hercle, inquit Silenus, ab iis affectibus victus es, qui sunt multo ignobiliore: illum enim ira plerumque, te vero fœda & pudenda voluptas superauit. Quin tu, Silene, in malam rem abi, ait Bacchus: ita cunctos derides, neque permittis cuiquam, vti pro se dicat. Verum tu parce in illos probra iactare, & qui Marcum nunc culpes, etiam atque etiam vide: certe enim, vt cum Simonide loquar, hic mihi videtur totus quadratus, & omni maior reprehensione. Demum Mercurius Marcum intuens: tu vero, inquit, cum superbia tua, dic, quem esse vitæ finem opti-

num duxeris? Ille leniter & modeste: Deos, inquit, imitari. Statim hoc responsum Dii non ab degeneri mente profectum, sed quouis esse pretio dignum censuere. Quin ipse quoque Mercurius nihil iam quidquam moliri voluit. Quippe credebat Marcum, vti semel coeperat, ita porro responsurum. Et cæteris quidem Diis ita visum fuit. Solus autem Silenus: at ego, inquit, (ita me Bacchus amet) non feram hunc sophistam. Etenim si ita res est, cur tu igitur, inquit, edebas bibebasque, non, vti nos cæteri Dii, ambrosiam & nectar, sed panem & vinum? Ego vero, inquit Marcus, non ob hanc causam edi bibique, quod Deos ea re imitari me confiderem, sed vti corpus alerem: credebam enim (fortasse falso) etiam vestra corpora debere e suffitibus nutriri. Haud igitur istis rebus vos ego, sed animo imitandos duxi. Ibi cessans aliquantisper Silenus: (haud enim ignavi pugilis ictum senserat) fortasse tu, inquit, non inepte istud dixisti. Cæterum illud mihi ediffere, qua in re esse positam duxeris Deorum imitationem? Nempe in eo, inquit Marcus, si quam paucissimis indigerem, plurimis autem benefacerem. Nulla ne igitur re, inquit Silenus, indignisti? Ego quidem, inquit Marcus, nulla: at fortasse corpus hoc meum minutis quibusdam. Quum etiam hoc cordate dixisse Marcus videretur, hæsit tandem Silenus, & alia quædam insectatus est, quæ ad uxorem eius & ad filium pertinebant. Nam neque recte hic Marcum, neque pro bono fecisse existimabat, quum illam quidem heroinarum dearumque adscripsisset numero, huic vero imperium commisisset. At ego, inquit Marcus, etiam hic Deos imitatus sum. Homeri enim istud dictum, quod de uxore est, sequebar:

*Quisquis sapiensue bonusue est,
Curat amatque suam, quantum pote.*

Iam de filio, Iouis sententiam in animo habebam. Etenim Martem vbi obiurgat: iampridem, inquit, fulmine te percussissem, ni te, quod natus ex me es, diligerem. Adde, quod nunquam putaueram ita fore peruersum filium meum. Quod si iuuentus, cuius est mira in vtramlibet partem propensio, ad deteriora inclinavit, sane non ego prauo iam tum homini imperium tradidi, sed vti que rei euentus fuit, vti malus sit factus postquam illud acceperat. Igitur, de uxore quod ais, id Achillis est exemplo a me factum; quod in filium miti fui animo, ad eam rem summus mihi præiuit Iupiter. Quanquam profecto nihil hic præter morem etiam cæterorum feci: nam & filiis leges ius dant successionis, & hac cunctis summa voti est, vti herede filio decedant. Vxori autem non ego primus, sed post alios multos, diuinos honores tribui. Nam vti tute his rebus auctor sis, fortasse ineptum sit; at, quæ vulgo aliis præstantur, ea coniunctissimis negare, prope iniquum est. Verum ego, Iupiter vosque Dii cæteri, nesciebam longius me, quam decet, prouectum esse: non enim apud ignaros verba pro me facio. Quare vos ardori meo ignoscite.

Finita hac oratione, Constantinum sic interrogauit Mercurius: tu vero quidnam esse pulcrum existimasti? Ille: multas, inquit, opes quærere, multa que largiri, ac suis pariter & amicorum inseruire desiderijs. Igitur Silenus effusissimum cachinnum sustulit, &: an tu olim, inquit, quum auarissimus esse mensarius velles, non animaduertisti te coqui cuiusdam & fucatricis egisse vitam? Indicabat quidem hoc dudum cæsaries tua, & facies; at nunc quoque illud arguit hæc, quam protulisti, sententia. Atque hunc quidem Silenus sic satis acriter tetigit. Dein Dii, facto silentio, clanculum inter sese suffragia tulere; multa que Marco data sunt. Iupiter autem, postquam secreto cum patre aliquot verba commutasset, Mercurio imperat, vti

Sena-

Senatus sententiam palam prædicet. Is hoc pacto prædicauit: *Vos, quotquot ad hoc certamen venistis, scitote leges apud nos & decreta huiusmodi esse; uti & victor gaudeat, & qui victus est, non queratur. Igitur ite quo libitum animo est, sub Deorum tutela atque ductu in posterum victuri. Vnusquisque autem præsidem sibi aliquem ducemque eligat.*

Post hoc edictum, Alexander quidem ad Herculem accurrit, Octavius vero ad Apollinem. Ioui autem atque Saturno arcte Marcus adhæsit. Cæsarem errantem multum, & hac illac circumcursantem, cum quadam miseratione maximus Mars, atque Venus, ad sese vocauerunt. Traianus ad Alexandrum properavit, tanquam illi adfessurus. Verum Constantinus, quum inter Deos nullum reperiret vitæ suæ exemplar, forte in propinquo diuam Mollitiem conspexit, & ad eam se contulit. Hæc eum sinu leniter excepit, brachiisque amplexa est; ac dein pictis pepulis ornatum cultumque ad sororem suam Luxuriam deduxit. Quo in loco ille etiam filium suum reperit morantem, omnibusque hæc denuntiantem: *Quisquis mulierum corruptor, quisquis homicida est, quisquis piaculo aut execrando scelere se obstrinxit, fidenter huc adito. Etenim simul atque hac aqua ablutus fuerit, illico eum ego purum reddam. Quod si iisdem rursus se flagitiis contaminarit, efficiam uti tunso pectore & capite percusso expietur.* Constantinus hanc a se repertam Diuam mire lætatus est, atque vna cum illa eduxit e Deorum cœtu liberos suos. Mox Dii impietatis vindices male & illum & filios mulctauere, cognatorumque sanguinem, quem per summum scelus fuderant, iustis pœnis vlti sunt: donec tandem Iupiter, Claudii & Constantii causa, malorum illis aliquam requiem concessit. Postremo ad me conuersus Mercurius: tibi vero, inquit, hoc dedi, uti Solem agnosceres patrem; cuius tu præcepta sequere, atque ita te para, uti is per fugium tibi tutusque portus in omni vita sit; post autem vbi emigrandum illinc erit, plenus bonæ spei, hunc tibi Deum fac propitium viæ ducem.

AMICE LECTOR,

IN huius libelli versione liberrimo animo, ut decet, versati sumus, neque verbum verbo studuimus reddere, ut solent quidam male superstitiosi. Nobis satis fuit a mente auctoris nusquam recedere: quod satis, opinor, assecuti sumus. Anapesti, & præterea Homerî atque Euripidis tria quatuorue loca, non sunt ex interpretatione nostra. Nescio enim quo fato libentius semper quouis alio sermone, quam Romano, versus scripsimus. Quod & fateri non pudet, & uti inuitus conarer, nunquam mea interesse credidi.

